

De Tribunali Camere Apostolicæ.

S V M M A R I V M.

- 1 **D**E origine, seu introductione huius tribunalis.
- 2 De numero præfinito Clericorum, & quâdo id sequutum fit.
- 3 De statu hodierno Tribunalis, & ex quibus illud constituatur.
- 4 De Cardinali Camerario, & de alijs Cameralibus, qui sedent in Camera ultra Clericos.
- 5 In quibus diebus Camera tenetur, & in quo loco.
- 6 De Camera tributorum in vigilia Apostolorum.
- 7 Quale votum habeant Camerales, & in quo differant à Clericis.
- 8 De prærogatiua Aduocati, & procuratoris fisci.
- 9 Habetur vsus contradictoriorum.
- 10 Quomodo fiat communicatio informationum, & de prærogatiua fiscalium.
- 11 De modo votandi, & de quibusdam stylis qui non laudantur.
- 12 Laudatur stylus, ut Ponens, vel Commissarius causa votet, & habeat plenam, ac exactam informationem processus.
- 13 Quomodo fiat distributio causarum inter Clericos.
- 14 Hoc Tribunal habet Signaturam in ventre, & Decanus gerit partes Præfecti.
- 15 Quarum causarum cognitionem habeat, & in qua instantia.
- 16 Propositis que fit in Camera est loco commissionis vel libelli.
- 17 Quomodo regulariter rescribi soleat in causis executiuis præsertim a sententijs, vel accretis Tesaurarij, & de cautela impediendi executionem.
- 18 De modo firmandi dubium, & proponendi resolutiones, ac etiam de stylo concedendi nouas audientias, & recedendi à decisis absque editione decisionis.
- 19 Appellatur etiam ab eius sententijs, & causa committitur per Decanum in eadem Camera.
- 20 De propinis, alijsque expensis, & muneribus.
- 21 De Auditoribus Clericorum.
- 22 De istorum officiorum venalitate, eorumque pretio.
- 23 Qualis sit huius tribunalis iurisdictio, & in quibus generibus causarum.
- 24 Est tribunal seculare principaliter, sed habet etiam admixtam aliquam iurisdictionem Ecclesiasticam.
- 25 Agebat prius causas communitatum, quas nunc agunt Consulta, & Congregatio Boni regiminis.
- 26 De potestate huius Tribunalis, eiusque Clericorum sede vacante, quando in alijs filet.
- 27 De solemnitatibus circa admissionem Clerici nouiter assumpti.
- 28 Quod hoc officium habeat annexam Prælaturam qualificatam.
- 29 Quod ex hoc Tribunali prodeant Summi Pontifices, & Cardinales multi.
- 30 De venalitate, unde proueniat remissiuè.
- 31 De pluribus officijs, & Præsidatibus que per Clericos exercentur singulariter.
- 32 Unde proneniat maior, vel minor copia causarum in hoc Tribunali.
- 33 Cognoscit etiam causas rei tractuum, & seruitutum in Vrbe.
- 34 De Congregationibus Baronum, & montium, & Consulta, ac Boni Regiminis, que huic Tribunali per iudicant.
- 35 De Congregatione computorum, & alia Congregatione Camerali, quid agant.
- 36 In qua instantia cognoscantur cause retractuum, & seruitutum.
- 37 De exceptionibus, & franchitijs quibus potiuntur sedentes in Camera.
- 38 Quid in Camera Rationatoribus.
- 39 De loco in Cappella.

DISC. XXXIII.



Rescripta, seu præsupposita eadem facti serie superius recensita in rubrica Cardinalis Camerarij A; Quod .s. in antiquis primitiue Ecclesiæ temporibus sub tyrannorum persecutionibus, Pontifex,

tifex, utpotè diuinis intentus, peculij, vel thesaurorum Ecclesiæ curam, & administrationem, commississet eius Archidiacono, ut acta martyrij SS. Laurentij, & Sixti docent; Quodque postmodum, restituta Ecclesiæ tranquillitate, oportuerit Archidiaconi officium, vel dignitatem suppressere; Hinc idem Pontifex, quemadmodum publicas, vel priuatas causas, quæ gratiam, vel iustitiam concernerent, cognoscebat, partim in Consistorio cum ope Cardinaliū, & partim in Cappella cum ope eius Cappellanorum, ut in vtriusque Rubricis superius aduertitur, aliaque negotia per organum Referendariorum expediebat; Ità ea quæ concernebāt eius Camerae seu fisci administrationem, quæ penes Archidiaconū prius existerat, cognoscebat cum adiutorio, & opera aliquorum eius clericorum, quibus tractu temporis, tanquam eius Vicarium, vnum præfecit Cardinalem, cui Camerarij nomen tributum est, vnde propterea irrepsit hoc Tribunal, quod constitutum est ex Camerario, & Clericis, ac alijs eiusdem Camerarij officialibus, in eadem eius rubrica insinuat.

Cum autem Clericorum numerus indeterminatus esset, illeque nimium creuisset, vnde propterea, confusiones, aliaque inconuenientia resultabant; Hinc proinde Eugenius quartus B, eorum numerum septenarium determinauit, & qui solum Clerici ordinarij, ac participantes, & causarum Camerae iudices esse deberent, præsupponendo existentiam aliorum Clericorum supranumerariorum, qui in Camera interuenirent, quando negotia discutiebantur, non tamen emolumentorum participationem haberent, neque remaneret in Camera post eius clausuram, pro causarum, ac negotiorum determinatione; Idemque confirmarunt, Innocentius VIII. & Pius IV. C, alijque successores Pontifices, qui ordinarunt reformationem huius Tribunalis, cuius Statuta ab eodem ordinata, approbarunt D; Atque auctus postea fuit eorum numerus ad duodecim, cum longè maiorum emo-

lumentorum ac præminentiarum additione, iuxta statum præsentem.

Attento itaque huius Tribunalis hodierno statu; Illud constat, ex duodecim Clericis, qui sunt de genere Prælatorum vtriusque Signaturæ, ac de sphaera prælaturæ nimium conspicuæ, quam ipsum officium habeat annexam; Eorumque Præsides seu Præfectus est præfatus Cardinalis Camerarius, qui volens potest, sed non solet, vel raro, sedere in Camera, in qua cum præfatis Clericis, in mensa circulari, sedent quoque plures alij officiales, qui ad differentiam Clericorum, Camerales appellantur; Nempè; Gubernator Vrbs, tanquam Vicecamerarius; Auditor Camerae; Thesaurarius Generalis; Et Præsides Camerae, qui omnes pariter in Prælaturæ statu constituti sunt; Ac etiam Aduocatus fisci; Aduocatus pauperum, & Procurator generalis fisci in ciuilibus, qui Camerae Commissarius appellatur.

Hoc autem Tribunal congregatur in Palatio studiorum, quod Sapientiæ dicitur, bis in hebdomada, in eisdem diebus, in quibus congregatur Rota, in feria scilicet secunda, & sexta; Cum ea differentia, inter vnum, & alterum Tribunal, circa huiusmodi dies ac tempora, quod demense Martij, quamuis Rota habeatur in feria sexta; Attamen Camera habeatur in feria quarta, dum feria sexta illius mensis habeatur tanquam dies festiuus, atque in vacationibus generalibus æstiuus, semper quod Papa tenet Consistorium, conuocatur, seu tenetur etiam Camera, quæcūque dies illa sit; Quod etiam in reliquis anni temporibus contingit, in quibus tamen rari sunt casus huiusmodi conuocationis Congregationis extraordinariæ, ratione Consistorij, dum istud pro eius ordinario, & consueto cursu, haberi solet in feria secunda, quæ est dies ordinaria Camerae.

Alia item Camera insolita, seu extraordinaria habeatur in palatio Vaticano, seu pro temporum contingentia, in Quirinali, in vigilia SS. Apostolorum Petri, & Pauli; Non quidem pro decissione causarum

farum, sed ad effectum recipiendi tributa, vel census, aliaque responsiones, quæ Camerae debentur ratione feudorum, aliarumque concessionum; Idemque pro forma Tribunalis, summarie examinatur, an, & quorum tributorum vel præstationum solutiones, vel oblationes recipiendæ sint, & quæ respuendæ, vel conditionaliter seu cum clausulis præseruatiuis recipiendæ; Idemque non solum pro iuribus ac respectiue præiudicijs ipsius Camerae, conseruandis, vel præseruandis; Sed etiam inter partes, quæ de possessione, vel de pertinentia feudorum, vel aliorum bonorum contendunt, vnde propterea, earum quælibet, tributum, vel responsionem Camerae, pro sui iuris, vel possessionis conseruatione præstare satagat.

Ea verò inter Clericos, dictosque alios officiales, & Camerales differentia dignoscitur, quod eis in dicta mensa circulari, sedentibus à diuersis lateribus Cardinalis Camerarij, tanquam per distinctionem duorum diuersorum ordinū singuli Clerici votum habent decisiuum; Camerales verò, super causis, quæ proponuntur, discurrere quidem possunt, ac solent, non autem votum proferunt; Et quatenus proferre velint, eorum omnium votum, pro vnico decisiuo numeratur, ita supplendo votum Camerarij, cuius nomine, ac vice ibi interuenire dicuntur, adeo ut interuentus, Gubernatoris Vrbs, Auditoris Camerae, Præsidentis, & Aduocati pauperum, quodammodo ceremonialis videatur; Ille verò Thesaurarij, ac Aduocati, & Commissarij Camerae, considerabilem habet finem, pro iuribus Camerae tuendis; Ea etenim dignoscitur differentia inter Aduocatos, & Procuratores Partium, & illos fisci, quod primi postquam iudices informarunt, exeunt à loco Tribunalis; Isti verò remanent, atque assistunt, quando vota proferuntur, cum facultate respondendi difficultatibus ac motiuis, quæ inter votandum per iudices fiant; Benè verum quod, neque Aduocati, & Procuratores Partium in hoc Tribunali, præfatum primum interuentum informatiuum habent, dum pro eodem stylo Rotæ, ac etiam Signaturæ, aliorumque Tribunalium collegiatorum, & Congregationum (exceptis illis, Montium,

Barnum, & Computorum, & Auditoris Camerae) in Curia non habetur vltus contradicutoriorum, coram ipso Tribunali congregato, sed singuli Clerici, alijque officiales, pro causarum qualitate, à Partibus, earumque Aduocatis & Procuratoribus, ore tenus & in scriptis informantur cum eodem admissim ordine, qui in rubrica præcedenti, agendo de Rota recensitus est, adeo ut nulla dignosci videatur differentia circa modum informandi; Nisi quoad aliquam inæqualitatem, vbi agatur de causis fiscalibus, quod scilicet Aduocatus, & Procurator fisci exigunt communicationem informationū Partium per aliquos dies, antequam ipsi ædant eorum informationes, quæ responsionum potius, quàm informationū speciem habent, ideoque non est illa cœqualis, & contemporanea communicatio, quæ inter Partes in ipsa die informationis de sero fiat; Ac etiam ista communicatio inter Partes in hoc Tribunali ita exactè seruetur, sicuti in Rota, dum quandoque aliqui litigantes id agere renuunt; Adhuc tamen licet cum aliquo maiori incommodo, idem resultat effectus, quoniam ipsimet iudices, libenter informationes ei datas accommodant, ut sūptum exinde defumatur, ad effectum respondendi, pro eodem laudabili fine, elucidandi veritatem, atque tollendi æquiuoca, seu fallacias informantium.

Super modo autem votandi, diuersus est huius Tribunalis stylus, ab illo Rotæ, cum in hoc non adit ibi enunciata diuisio turnorum, sed omnes, in singulis causis, votum proferant; Cum duplici tamen particulari stylo quorum vterque est exorbitans; Primò nempè, quod maior pars votorum, non constituitur ab excessu supra medietatem, iuxta regulam electionum aliorumque actuum comitialium, seu collegiatorum, sed dicitur maior ea, quæ sit talis comparatione aliarum; Vnde propterea si (ex. gr.) Jex duodecim Clericis; Duo in vnam sententiam abeant; Duo in alteram; Tres in alteram; Et quatuor in alteram, tunc iuxta istam vltimam tanquam pro maiori parte, capitur resolutio, quod à iuris regulis exorbitat, ideoque non videtur commendatio-

B. Const. 13. Egen. quarti.

C. Constit. 1. Calisti 3. & constit. 55. & 88. Pij IV.

D. Ista Statuta sunt inserta in constit.

ne dignum. E

Alter stylus est, pariter exorbitans, quod cum huiusmodi Clerici plures habeant inter se distributas præfidentias, ut infra, in quibus gerunt partes Iudicij primæ instantiæ, vnde ab eorum sententijs appellatur ad Cameram; In disputatione quæ habeatur, an illius Præfidentis sententia confirmanda, vel infirmanda sit, ipsemet votum quoque habet decisivum, alijs Clericis cœquale, quod à iuris regulis etiam exorbitat, ideoque non videretur commendabile. F

Ille verò est huius Tribunalis stylus nimium commendabilis, quod Ponens seu Commissarius causæ, habet votum decisivum, quod eodem modo, quo in Sacris Congregationibus, ac generaliter in omnibus alijs Orbis Tribunalibus, pro frequentiori contingentia, omnium ponderosius esse solet; Non quidē, ut maioris roboris sit de iure, sed quia, meliorem, magisque distinctam habet informationem facti, ex quo ius oritur, atque maior pars decisionum pendet; Ponenti etenim in hoc Tribunali, quædam stricta, & rigorosa incumbit obligatio, habendi distinctam notitiam facti, totiusque processus, quem secum asportare debet in plena Camera, ut in relatione causæ, quam ipse faciat, siue in discussione, ad singulorum Votantium, requisitionem promptè docere valeat de iuribus, quæ in eodem processu contineantur, ad effectum inspiciendi, an fideliter à Partibus data sint in summario, siue inspiciendi ea, quæ ab ipsis Partibus neglecta fuerint.

Distributio verò causarum fit, eodem modo, quo de Rota dictum est, inter singulos Clericos, absque tamen aliqua aliorum officialium cameralium participatione; Cum ea tamen differentia, inter dictum Tribunal Rotæ, & istud Cameræ, quod in Rota causæ distribuuntur cum commissionibus vtriusque Signaturæ, Gratiæ, vel Iustitiæ, ac propterea idem Tribunal subiacet præfato Tribunali Signaturæ Iustitiæ, circa modum committendi, & rescribendi ut iam de-

eo agendo, insinuatum est, adeò ut eius Decanus, aliam non habeat potestatem, nisi illam subrogandi; Istud verò Tribunal habet (ut Præficti dicunt) Signaturam in ventre, id est quod non subiacet Signaturæ Iustitiæ, neque eius iurisdictio pendet à commissionibus, earumque formis; Ex ea ratione, quod est Tribunal ordinarium ad certum genus causarum, vnde propterea singulæ causæ, singulis Clericis, potius distribuuntur, quam delegantur; Istaque distributio fit per eorundem Clericorum Decanum, id est antiquiorē, adeò ut non sit officium particulare, sed sit præminentia antianitatis, atque habeat quamdam imaginem Præficti Signaturæ Iustitiæ, tam circa dictam distributionem seu commissionem causarum singulis Clericis, quam circa recursum, qui per appellatorem ad eum habeatur, ut demandetur suspensio executionis, seu concedatur superfloriam usque ad primam Cameram, in qua commissio sequi debet, cū rescripto suspensivo executionis, vel præservativo, eo modo quo de Signatura Iustitiæ est dictum.

Est etenim istud tribunal, iuxta eius ordinariam, ac regularem naturam, Iudex appellationis, a sententijs, & decretis Auditoris Camerarij, & Thesaurarij generalis, ac Præsidentum, de quibus infra, adeò ut rari sint casus, in quibus, cognoscat de causis in prima instantia ex consensu Partium; Vel de mandato Papæ; Aut ex capitulis appaltuū; Vel quod ita exigat causæ qualitas, ut præsertim contingit in causis devolutionis vel caducitatis feudorum; Cumque Thesaurarius, ex Apostolicis Constitutionibus, illa præsertim Sixti V G; habeat in facultatibus procedendi executivè; Hinc proinde appellantes, ad impediendam executionem, quæ appellatione non obstante, vel durante eius termino, fieri potest, recurrunt ad Decanum, pro superfloriam, eodem modo, quo recurritur in alijs casibus indifferentibus, ad Præfictum Signaturæ Iustitiæ, ut ita executio impeditur, usque ad primam Cameram, in qua appellans faciat propositionem,

nem, quæ de stylo huius Tribunalis, est idem, ac commissio in Rota; Et quoniam in causis executivis, & præsertim Tribunalis Thesaurarij, quando incontinenti non doceatur, de nullitate, vel iniustitia, rescribi solet cum clausula *servata forma*, id est admittendi appellationem ad devolutivum tantum, sine præiudicio executionis; Idcirco appellantes in prima Camera curant docere de nullitate vel iniustitia clara; Atque ubi Tribunal agnoscat, quod appellanti quærelæ aliquam habeant faciem probabilitatis, tunc demandare solet superfloriam, quodque disputetur in prima, vel alia opportuna Camera dubium, An, & quomodo sit inhibendum; Siue an mandatum sit executivum, quod quandoque appellantes prævenire solent, ut in ipsa met prima Camera id disputetur; Et in summa istud Tribunal facit ea, quæ coniunctim faciunt, Signatura Iustitiæ, & Rota, quando in causis de sui natura executivis rescribatur cum clausula translativa executionis, non tamen, præiudiciali processui executivo, iuxta exemplificata in dicta rubrica Signaturæ.

Firmato igitur statu causæ, eaque distributa vni ex Clericis, qui pariter Ponens dicitur, firmatur etiam dubium, eodem modo quo de Rota dictum est; Cū ea differentia, quod in hoc Tribunali non proceditur cum solis intimationibus, quas vna Pars alteri faciat super propositione dubij, in certa designata die, sed causæ Ponens declarat quando causam proponere intendat, subscribendo schedulam, quæ *dignemini* appellatur, per quæ Ponens monet Collegas, quod ipse causam est propositurus tali die, ideoque dignentur Partes, ore tenus & in scriptis audire, idque notificatur etiā parti; Istaque stylus provenit ex alio suprainnuato, quod. s. cū Ponens teneatur videre processum, & acta, ideoque esse debeat benè informatus de statu causæ, ac omnibus, quæ in facto consistunt; Idcirco non concedit dictam declarationem, nisi postquam ipse hanc informationem obtinuerit.

Quoad modum informandi (ut præmissum est), servatur admodum idem quod de Rota dictum fuit; Atque ubi proposita causa, capitur resolutio, quamvis ea publicetur, adhuc tamen, eodem modo quo in Rota, illa remanet in terminis

actus extrajudicialis, seu cuiusdam publicationis voti, donec Parte denuò citata per eandem Cameram, collegialiter in forma tribunalis congregatam, demandetur expeditio, cum pariter peti, atque pro frequentiori stylo, concedi soleat nova audientia, & sæpius sequi soleat idē recessus à decisio, admodum ut de Rota dictum est, adeò ut alia non dignoscatur differentia, nisi quod in Rota, Ponens tenetur præcise, super fundamentis resolutionis ædere decisionem, quod non servatur in Camera; Licet quandoque in causis gravioribus, vel curiosis, Ponens, pro eius arbitrio, vel genio, ad instar eius quod facit Rota extendere quoque soleat decisionem, cui Voti potius vocabulum tribui solet.

Sequuta expeditione per sententiam, intrat idem, in hoc Tribunali, quod dictum est de Rota, quod scilicet causæ non mutant suam naturam, ideoque eodem modo, ac si tractarentur coram quocumque alio Iudice inferiori, quando illæ sint de sui natura appellabiles; Vnde propterea si de iure communi, vel statutorio, exigunt tres, vel duas conformes, tunc habent suum cursum, cum eodem ordine Rotæ, quod scilicet committuntur denuò in eadem Camera per Decanum alteri Clerico, adeò ut causæ non exeant ab ipso Tribunali, in quo finem habituræ sunt, cum alter non adsit Iudex appellationis, nisi quando aliter Papæ videatur, in Signatura Gratiæ, cui solum hoc Tribunal subest.

Et quoad litigantium expensas, tam circa propinas, quam alia, servatur admodum idem, quod de Rota dictum est; Eademque dignoscitur summa integritas; Atque munera, exigua in cera & saccharo, seu pullis, in hoc Tribunali prodeunt potius ex obligatione Appaltatorum adiecta in capitulis appaltuum, quæ ex urbanitate; Ea verò dignoscitur duplex differentia circa propinas; Primò nempe, quod in expensarum refectione, quam victus victori facere tenetur, propinæ veniunt in taxa, seu lista expensarum, quod Rota non servat; Et Secundò quod non ponuntur in massa pro earum distributione inter ipsos Iudices faciendâ, ut Rota servat, sed distribuuntur; Vel singulariter in expeditione causarum; Vel ab aliquo moderno tempore,

E. ita sequutum est in casu de quo sub tit. de Regal. disc. 136.
F. ibidem.

G. Const. 100. Sixti P.

cum eodem ordine massæ distribuendæ inter ipsorum Clericorum Auditores, qui explicant eandem partes, quas in Auditoribus Rotæ, explent Adiuutores studio-
21 rum, adedvt sola nominis differentia, dignosci videatur; Ac etiam quia Auditores Clericorum, in pluribus officijs, quæ singulariter administrant, ex eorundem Clericorum commissione tenent audientiam, & aliqua decernunt; Cumque in Auditoribus studiorum Rotæ, stipendiū, seu aliqua merx laboris, proueniat ab emolumentis decisionum, vltra stipendiū quod à Prælato præstetur pro congrua sustentatione; Idcirco in Camera subrogatæ sunt propinæ.

Hinc proindè, istis Prælati reatè congruere videntur ea quæ (agendo de Sacris Congregationibus, ac etiā de vtraque Signatura) insinuata sunt de Cardinalibus, & Referendarijs, quod scilicet valde laboriosum præstant Curia seruitium gratuitum, absque vlla mercede pecuniaria ratione huius administrationis, ac laboris.

Quamuis etenim ista officia Clericorum Camera, sint valde lucrosa, ob quædam emolumenta eis assignata, in plurium millium scutorum redditu singulis annis; Attamen iste est fructus pretij quod soluitur, eodem modo quo contingit in alijs officijs vacabilibus, ac venalibus, quæ nullum laborem studiorum, nullamque administrationem habent, dum sunt officia venalia, quorum valor prius erat scutorum triginta sex millium auri stamparum, nunc verò est scutorum 42. millium, pariter auri, dum omnium aliorum officiorum valor, ad instar omnium aliarum rerum, notabile augmentum recepit. H

Iurisdicctio autem huius Tribunalis, restricta est ad certum genus causarum fiscalium, in quibus scilicet, vterque fiscus, ecclesiasticus, & temporalis Papæ, immediatum, vel mediatum habeat interesse, adedvt, quamuis in quæstione sit apud DD. quibus nam antiquis Romanæ Reipublicæ officialibus vel magistratibus isti Clerici exæquandi sint; Nihilominus probabilius videtur, vt verè, & propriè

exæquari mereantur antiquo officio Procuratoris Cæsaris, non autem Quæstoribus, vt alij opinantur, cum istorum partes munus potius gerere videantur, Thesaurarius Generalis, alijque Collectores, & Thesaurarij generales prouinciarum; Alij enim sunt Præfecti ararij; Alij eiusdem ararij iudices; Et Alij sunt Quæstores; I. Vndè propterea principaliter est Tribunal potius sæculare, ratione scilicet fisci, & Camera principatus temporalis, quamuis admixtam habeat aliquam iurisdictionem ecclesiasticam, ratione spoliatorum clericorum, ac fructuum Ecclesiarum, & beneficiorum vacantium, aliorumque iurium spectantium ad fiscum ecclesiasticum Papæ, quorum cognitionem habent in priori instantia Camera-rius, & Thesaurarius, qui extra Curiam sunt Iudices appellationum, à Nuntijs, & à Collectoribus Apostolicis prouinciarum, deindeque ab his appellatur ad Camera.

Antiquiori tempore, agebat omnes illas causas Communitatum, quas nunc agunt, pro diuersa qualitate negotiorum, duæ Congregationes, Consultæ, & Boni Regiminis, per quarum erectionem, istud Tribunal, notabilem negotiorum diminutionem passum est; Adhuc tamen quandoque de causis Communitatum, cognoscit, dum in eis, præsertim vbi agitur de collectis, & gabellis, fiscus aliquod interesse habere dicitur. L

Maior est istius Tribunalis potestas, & iurisdicctio, de tempore Sedis vacantis circa administrationem Palatij Apostolici, ac alia de quibus actum est supra, agendo de conclavi tempore Sedis vacantis, ac etiam agendo de Cardinali Camera-rio, sed in cognitione causarum, silet eodem modo quo faciunt etiam Rota, & Signatura, & Iudices commissarij. M

Nouiter electi, in locum deficientium, nullas seruant solemnitates, nisi illam præstationem iuramenti, quam generaliter ex dispositione iuris communis, atq; ex omnium Christiani Orbis Tribunalium communi vsu, facere debent nouiter assumpti ad magistratus & officia, qui-

I. de hoc agitur in Neapolitana præcedentiæ tit. de præminent. in supplemento.
L. tit. Regal. pluries.
M. supra disc. 4. & 11.

quibus Iustitiæ administratio incubat. M

Ex hoc autem Tribunali, pro frequentiori viū, (qui rarum habet violationis exemplū), assumi solent duo primarij Curia officiales in genere Prælaturæ, nēpe Auditor Camera, & Thesaurarius generalis; Isteq; clericatus reputatur munus valde qualificatū, cardinalitiæ dignitati quoq; proximum, quoniam in promotionibus, quas Pontifices faciunt, ex his duobus maioribus, & qualificatis Collegijs, seu Tribunalibus, Rotæ, & Camera, assumi solent personæ quæ Pontifici benemeritæ videantur, adedvt, eodem modo, quo de Rota dictum est, istud quoque Tribunal, magnum sit seminarium Cardinalium, & Pontificum, dum (negligendo antiquas chronicas) atque loquendo solum de nostro decimo septimo sæculo currenti, intra minus spatium dimidij sæculi, ex hoc Tribunali prodierunt, duo nimirum qualificati Pontifices, nempe Paulus V. & Urbanus VIII., magnusque Cardinalium numerus.

Huiusmodi autem officiorum venalitas, ignaro, vel maligno vulgo, obloquendi occasionem præbet, quod scilicet ad maiores Ecclesiæ dignitates in Curia, ex titulo emptionis perueniatur; Verum ignorantia, vel malignitatis effectus est, vt distinctè agendo de huiusmodi officiorum natura seu qualitate, agitur in sede Regalium, vbi videndum est, ne eorundem superflua repetitio fiat. N

Quamplura quoque officia inter istos Clericos distribui solent singulis annis, licet eorum aliqua pro Papæ arbitrio immutari non soleant, vt sunt Præsidatus; Dohanarum; Riparum; Annonæ; Grasciæ; Carcerum; Viarum; Zecchæ; Tulpharum, seu Aluminum; Terrarum, quæ dicuntur Arnolphæ; Et Castri noui, & de quorum Præsidatum singulis distinctè inferius agitur.

Numerus causarum, quæ in hoc Tribunali disputari soleant, est varius, iuxta rerum, ac temporum contingentias; Vbi etenim casus præbeat deuolutiones feudorum, istæ multas, & quidem graues, producere solent quæstiones, quæ in hoc

Tribunali disputantur, vt præsertim docuerunt deuolutiones Ducatum Ferrariæ, & Urbini O; Idemq; vbi temporum accidētia, excitent in Appaltoribus prætensiones defalchi, seu remissiones pensionis; Aut quod contingant bancheriorum, aliorumque mercatorum de coctiōnes, quæ producant concursum creditorum; His etenim casibus non contingentibus, cum istius Tribunalis iurisdicctio limitata sit intrā certum genus causarum, istæ raræ sunt, adedvt frequentiores videantur illæ retractus coactiui, vel prælatiui, vel ædificiorum, & seruitutum inter vicinos ad præscriptum Constitutionis Gregorianæ super ornatu Urbis P; Et nihilominus etiam in hac materia non sunt hodiè ita frequentes quæstiones, vt erant antea, cum ea clarior effecta sit, ac etiam per dyas instantias corā diuersis iudicibus Camerarij & Præsidis viarum prius tractari debeat, intra quas frequentius huiusmodi controuersia finem habere solent.

Atque illum effectum huic Tribunali præiudicalem, quem in causis communitatum produxerunt præfata nouiter erectæ Congregationes Consultæ, & boni regiminis, produxerunt etiam aliæ Congregationes montium, & Baronum circa concursus creditorum, ac venditiones castrorum, & bonorum, vel pertinentiam, & vincula locorum montium, de quibus, vtpotè iuribus cum Camera Apostolica, ad istud Tribunal alias agere pertinebat.

Idemq; à moderno tempore, à sequutum est in quæstionibus restauri vel remissionis pensionis inter Camera, & Appaltatores vectigalium, & dohanarū, seu Thesaurariarū ob duas alias Cōgregationes; Vnam scilicet quæ dicitur Computorum, constitui solitam ex Thesaurario Generali, Aduocato, & Commissario Camera, & aliquibus Clericis pro Papæ arbitrio, vna cum eiusdem Camera rationatoribus; Et alterā quæ dicitur Cameralis, ex præfatis Thesaurario, Aduocato, & Cōmissario, & Rationatoribus constitutam, quoniam, in istis congregationibus

P. 2. Relat. A a 2 ni-

M. tit. de præminent. disc. 28.

N. dicto disc. 2. de Regal.

O. tit. de feud. disc. 1. & 3. cum plur. seqq.
P. tit. de seruitut. ad hanc materiam retractuum & seruitutum pluries.

nibus in forma extrajudiciali, ac more mercantili potius istæ quæstiones finem per viam concordie habere solent, adeo vt raro ad hoc Tribunal transeant decidendæ pro vt de iure.

Dictæ verò quæstiones retractuum, vel ædificiorum, & seruitutum, primam habent instantiã in simul iunctis Tribu-
36 naliibus Camerarij, & Ædiliũ; Secundam coram Præside viarum; Et ab isto in tertia ad Camera, ideoque intra dictas duas instantias causæ frequentius finem obtinent.

Inter alias autem prærogatiuas, & utilitates, quas obtinent omnes illi, qui sedent
37 in Camera, vt supra, siue sint Clerici, siue alij officiales, qui sub nomine Camera- lium appellantur, ea est notabilis, exemptionum, & franchitiarum à gabellis, & dohanis, alijsque publicis oneribus, quoties in istorum impositione aliter non sit expresse cautum; Et quod magis est, præsertim Clerici, etiam post vacatũ, per promotionem ad Cardinalatum, vel aliàs dimissum officium, easdem franchitias, & exemptiones retinent, quod est nimis considerabile.

Quæstione cadente in duobus Camera Rationatoribus, vel computistis principalibus, quoniam licet sint officiales
38 camerales, non tamen sedent in Camera; Atque ex obseruantia pendere videtur decisio. Q

Non habebant antiquiori tempore Clerici Camera locum in cappella Pontificia, quem nunc habent, post eiusdem cappellæ reformationem sub Alexandro VII., cum eorum tamen displicentia, dum ita decisa fuit quæstio, quæ prius indecisa pendebat super præcedentia cum Auditoribus Rotæ.

Q. de hoc agitur tit. de Regal. disc. 48.



De Auditore Camera, eiusque Locumtenentibus.

S V M M A R I V M.

- 1 **D**E origine seu introductione huius officialis.
- 2 Est Iudex omnium Prælatorum, ac etiam Cardinalium.
- 3 In Curia est Iudex in prima instantia, & habet cumulatiuam cum quibusdam alijs Magistratibus.
- 4 Sed priuatiuè est exequutor obligationis in forma camera, vel alterius pacti exequutiui.
- 5 Extra Curiam est iudex appellationum generaliter in omnibus causis.
- 6 Sed nõ procedit in causis primæ instantiæ.
- 7 Quas causas cognoscit etiam extra Curiam in prima instantia.
- 8 Est exequutor literarum Apostolicarum & quomodo.
- 9 Est etiam sententiarum exequutor, & quomodo.
- 10 Procedit executiuè inter mercatores, & in omnibus casibus in quibus alter iudex ita procedere potest.
- 11 Recipit appellationes interpositas ad Papam, omisso medio.
- 12 Quos recursus recipiat à Baronibus, & alijs etiam in prima instantia.
- 13 In quibus causis in Curia Auditor Camera se non ingerit.
- 14 Præsertim in causis beneficalibus, & quid in matrimonialibus.
- 15 In quibus causis spiritualibus se non ingerat.
- 16 Et quid in causis Regularium.
- 17 Ex quibus Tribunal constituatur.
- 18 Locumtenentes cum ipso Auditore constituunt unum Tribunal, & de effectibus.
- 19 Adhuc tamen vnus inhibet alteri, vel ab eo reassumit.
- 20 Sed vnus non reuocat sententiam alterius.
- 21 Quid ubi recusantur suspecti.
- 22 Distinguuntur Locumtenentes, ac etiam Auditor domesticus.
- 23 De Congregatione criminali, quam tenet qualibet hebdomada.
- 24 Habet Notarios, & Barisellum cum familia armata.